ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobiliss.e Vir:

Gravi vulnere de cælo tactus es. Sed qui te dicendo hactenus mirabilem præstitisti, nunc denique et agendo stupendum das. Cuiusmodi enim illa sunt, à gemino funere charissimorum pignorum tam subitâ fortitudine tibi imperare, ad te redire, ad amœna studiorum, ad ipsas Musas; planè quasi nihil contigisset, et perstrictus tu quidem levi fulmine, non laesus esses! Macte, mi Heros, ingentis animi generositate invictâ, et, si amicos etiam pateris de suo conferre quod ad nobile institutum faciat, et avocando tibi ab inutili dolore, ecce meam inter primos curtam supellectilem excutio, ut, si ridendi horæ nondum rediere, certè ridentem verum dicere audias, et cum novo Pontifice meo more garrientem; quin imo de electione capularis Papæ disserentem, ut qui Pasquino et Marforio maledicendi voluptatem eminus invidere audeam. Adjicio sententiolam de Coma, quâ, si te satis assecutus sum, gravis controversia dirimi possit. Ignosce nimiæ libertati. Statueram Hagâ demum his te nugis obtundere. Invitavit ingenij illa tui alacritas ut jam nunc illas repræsentarem. deinde novitatis gratiam captare visum fuit, cum ex itinere destinaverim Zulichemum excurrere, Hollandiam non visurus, nisi octiduo post victorem Principem. Vale, vir summe, et scribe tui gregis hunc

Vere tuum

C. Huygens

Bergis ad Zomam.
XVII Octob. MDCXLIV.

(Naar het oorspr. in codex Vindobon. 10093. N°. 116)

BPL 885

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 885
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3812

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 885
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3812